



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 95. Modus & series scrutinii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. A.C. 1439. domum in foro urbis e regione Ecclesie Cathedralis, in loco edito ac patenti tam, quæ pluribus sat amplis instructa tricliniis, antehac choreis ducendis dedicata fuerat. Delineat quoque angustas illas cameras juxta numerum Electorum distinctas, necnon cibariorum qualitatem & ea Electoribus subministrandi modum recenset. In mediis eorum cellulis tanta erat, inquit, obscuritas, ut ad plenam meridiem candelas accendere oporteret, præterea eorum cubicula in solo frigidissimo, & adeo humido posita erant, ut rheumatico morbo correpti identidem tussientes, novis mali accessibus graviter affligerentur.

## §. XCV.

*Modus & series Scrutini.*

Postera die primo diluculo omnes Electores Missæ sacrificio adstiterunt, quo peracto, & decantato Spiritus Sancti hymno, ad scrutinium, quod per schedulas factum est, processerunt. In loco, ubi & Cardinalis Arelatensis, & Vicentini Episcopi, aliorumque novem cellæ erant, ex utroque latere sedilia disponebantur. In summitate loci posita erat ara, coram qua sedebat Cardinalis Præses, cujus dextrum latus Archiepiscopus Tarantasiensis, sinistrum Dertulensis Episcopus



Episcopus tenebant, ac suo quisque or-  
 dine hinc atque inde reliqui Electores  
 sedes occupabant. Ante Cardinalis fa-  
 ciem posita erat mensa, & super illam  
 pelyis ex argento confecta, in quam E-  
 lectorum quilibet suam jaciebat schedu-  
 lam, quas sigillatim postmodum extraxit,  
 legitque Cardinalis, aliis quatuor Electo-  
 ribus nomen electi signantibus. Scheda  
 scrutinii hunc in modum scripta erat:  
*Ego N. Episcopus . . . in Romanum Pon-*  
*tificem eligo N. cui schedulæ duorum*  
 omnino nomina inscribere liberum erat,  
 singuli tamen Electores schedulas suas  
 proprio muniebant sigillo, collusionis pe-  
 riculo obviaturi. Lectis igitur schedulis,  
 scriptisque eorum nominibus, qui ad Pon-  
 tificatum eligebantur, suffragia collige-  
 bantur, quæ postmodum igne consum-  
 pta fuere. In prima votorum inspectio-  
 ne, quam *scrutinium* vocant, compertum  
 erat, septendecim omnino ad pontifica-  
 tum ex variis Nationibus nominatos es-  
 se, quorum tamen neuter ad validam Pa-  
 pæ electionem legitima habebat suffra-  
 gia; potiora tamen ceteris tulisse depre-  
 henderunt Amadeum Sabaudiaë Ducem,  
 Decanum Equitum S. Mauritii ad Ripal-  
 liam, Genevensis Diocesis, sexdecim in  
 eundem solum concurrentibus. Hora  
 post meridiem tertia conventus habebatur,  
 necnon in vitam, moresque eorum, qui  
*Hist. Eccles. Tom. XXVII. M m no-*

Sæcul. XV.  
 A.C. 1439.



Sæcul. XV. nominati fuerant, inquirebatur, ubi prout  
 A. C. 1439. quisque privato regebatur studio, elector  
 aut extulit, aut depressit. Verum au-  
 ctis indies Amadæi fautoribus, ipse so-  
 lus in alia suffragiorum promulgatione  
 die quarto Novembris habita novemde-  
 cim, in alio scrutinio viginti & unum,  
 totidemque in tertio tulit. Cum vero  
 ex Patrum præscripto ad electionis va-  
 lorem duarum ex tribus partium con-  
 cursus requireretur, & nonnisi unum  
 deesset suffragium, ideo combustis sche-  
 dulis, rursus ad novam electionem pro-  
 cesserunt.

## §. XCVI.

*Inquisitio in vitam & mores Amadæi  
 Sabaudicæ Ducis.*

Cardinalis Arelatensis, cum ab unius  
 suffragantis calculo proximam electi  
 sortem dependere intelligeret, decretis  
 supplicationibus Deum exorari præcepit,  
 ut Electorum suffragia, & animos chari-  
 tate conjungere, & Ecclesiæ suæ regi-  
 mini Virum pietate, ac zelo insignem  
 præficere dignaretur. Cumque Ama-  
 dæus præ aliis ad id muneris diligendus  
 videretur, studiosius in vitam, moresque  
 illius inquiri cæptum est. Nonnulli ho-  
 mini laico manus cito imponendas nega-  
 bant, indignumque reputabant, Princi-  
 pem